



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Qui poßint ferre censuram, & in quos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

spensum, &c. 2. Si addatur patricula, *ipso jure*,
ipso facto, vel, *sine alia sententia*. 3. Si verba sint
imperativi modi, v. g. incidat in excommunica-
tionem. maneat interdictus, &c. Ratio, quia hæc
omnia nullius actionem interponunt.

II. Sententiæ ferendæ est saltem ut plurimum.
1. Si verba sint futuri temporis, v. g. excommuni-
cabitur, suspendetur. 2. Si dicatur, excommu-
nicetur, suspendatur, volumus excommunica-
ri. 3. Si verba sint minatoria, v. g. sub pœna
excommunicationis, sub interminatione ana-
thematis, &c. nisi tamen ex adjunctis aliud colla-
gatur.

DUBIUM III.

Qui possint ferre censuram, & in quos?

Resp. I. Censuram ferre potest omnis, ac solus
superior Ecclesiasticus habens in foro externo,
seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam
sive delegatam.

Porro ordinariam, quæ est ratione officii, vel
alterius juris, potestque delegari Clerico, Cleri-
catus privilegiis gaudenti (ut *Bon. d. 1. q. 1. p. 2.*
Laym. l. 1. c. 5. p. 1. ca. 3. num. 1. ex C. Cum Ecclesia-
rum. S. Thom. &c. docent) habet. 1. Papa respec-
tu totius Ecclesiæ. 2. Patriarchæ, Archiepisco-
pi, Episcopi, eorumque Vicarii Generales. 3. Ge-
nerales Provinciales, & Superiores locales reli-
gionum respectu suorum subditorum. 4. Congre-
gationes religionum, Concilia provincialia Episco-
porum

porum. Capitula provincialia quorundam religiosorum, & denique. 5. Quidam alii ex concessione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani.

Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente: cuius morte expirat: nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem hujus commissionem, ut si sit delegatus Papæ. *Vnde resolves.*

I. Non possunt potestate ordinaria ferre censuram, 1. Parochi. 2. Laici: quia non sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ; uti & religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Ecclésiæ, licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ: quia non sunt capaces jurisdictionis seu potestatis clavium. Quando verò in jure dicuntur posse subiectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel beneficio, suspensio non accipitur propriè pro censura, cuius violator irregularitatē incurrit, sed latè & impropriè, pro præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subiecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus interea. *v. Bon. l. e. Laym l. 1. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3.*

Resp. II. In omnes, & solos subditos alicui superiori Ecclesiastico, potest ferri censura; quia subiectio & jurisdictio sunt correlativa. *Laym. l. 1. c. 3. Vnde resolves.*

I. Non baptizati non incurrunt censuras, licet sint catechumeni: nec mortui: quia non subditi sunt jurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur excommunicari: non enim de novo ligantur, sed excommunicatio

prior t
cum i
Simili
ne, qu
illis p
II
bi con
rum g
non s
III
loco c
gem s
perior
tos, v
tentia
IV
affici
ti Ec
V. S
quia r
C
Re
ra pr
maci
alien
tame
priur
I.

prior tantum declaratur, ac vivis prohibetur, nec cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando sepultura & orationes publicæ pro illis permittuntur. *Laym. l. c.*

II. Advenæ & peregrini brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum generali sententia aut statuto decretis: quia non sunt subditi. *Laym. l. c. n. 5.*

III. Etsi subditi extra suam dioccesin, (vel in loco diocesis exempto) delinquentes contra legem sui Episcopi, non incurrant censuram; superior tamen saltem regularis, potest suos subditos, ubicunque existant, per particularem sententiam censuris innodare. *v. Laym. l. c.*

IV. Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, possunt affici censuris: quia per baptismum sunt subditi Ecclesiæ. *v. Laym. l. c.*

V. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subiectus. *Bon. l. c.*

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri censura?

Resp. Ob solum peccatum externum, censuræ proportionatum, & conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. g. Prælati, vel communitatis, (non tamen hominis privati) alias requiritur proprium. *Bon. p. 3.* Unde resolves.

I. Non possunt censurari infantes, vel amentes,